AD
PANEGYRICVM
AETERNATVRAE GLORIAE

SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE PRINCIPI AC DOMINO DOMINO AVGVSTO III.

POLONIARVM REGI
MAGNO DVCI LITVANIAE
RVSSIAE PRVSSIAE MASOVIAE SAMOGITIAE KILOVIAE WOLHYNIAE PODOLIAE PODLACHIAE LIVONIAE &c.
NEC NON
SAXONIAE DVCI
S. R. I. ELECTORI ET ARCHIMARESCHALLO
CLEMENTI CONSTANTI PACIFICO
D. V. OCT. MDCCLXIII
INOPINATA MORTE EREPTO
DESTINATVM
ET
IN ACROATERIO ATHEN. ELBINGENSIS MAXIMO
D. XXIV. NOV. EIVSD. ANNI HORA X. MATVT.
PVBLICA AVCTORITATE HABENDVM

OMNES O. O. PATRONOS
AC FAVTORES
EA QVA PAR EST REVERENTIA ET HVMANITATE
INVITAT
STVDIOSAM VERO IVVENTVTEM
AMICE CONVOCAT

IOANNES LANGIVS
GYMN. RECT. P. P. ET BIBL.

ELBINGAE STANNO NOHRMANNIANO.

Funde lacrumas
& suspirio fletuque verba rumpe,
praefica Fama,
laudes luctibus, plausus planctibus, elogia elegiis confundens.
Iam enim
non Lechi, primi Poloniae Parentis, fortuna,
non Piasti consultae liberalitatis fama,
non Iagellonis martii laboris patientia,
sed
clementia, magnanimitate, pacisque gloria
tanta Nomina multum superantis,
PRINCIPIS AC DOMINI
laudes tristi calamo veniunt canendae.
Querulus hinc per regiones urbesque campanarum ululatus,
color vestium pullatus,
oraque omnium ad terram inclinata,
Te quoque in consortium vocant lamentorum,
voce laetantium silente.
Eheu!
(crebri in pectore augentur singultus)
AVGVSTVS III.
ORBIS SARMATICI REX,
SAXONIAE NOVEMVIR ET S. R. I. ARCHI-
MARESCHALLVS,
nec non
in regionibus Iuris Saxonici
ac finibus ad hunc Vicariatum pertinentibus
bis VICARIVS,
exuta fragilitatis natura,

fractos

fractos orbosque reliquit Suos,
Sui desiderium in omnibus relicturus.
Hic Saxo,
antiquissima Saxonum stirpe prognatus,
Saxonicae gloriae igniculos
a Patre AVGVSTO vere Augusto accepit,
& quos accepit,
non in Saxonia modo, sed in Polonia etiam
longe lateque dispersit radiantes,
quos Cives venerari, Exteri mirari
& Posteri rimari desinent nunquam.
Divinitus enim Regno constitutus,
iisdem in campis,
in quibus quondam Henricus Valesius Rex salutabatur,
liberis Procerum suffragiis
&
frequentissimo Gentis conventu
in AVGVSTI II. gloriosae memoriae sufficiebatur locum,
ut
paternarum virtutum aeque ac regnorum
Haeres esset Gloriosissimus,
Filius, Divi Patris simillimus.
Regali hinc diademate Cracoviae coronatus,
Rempublicam
bello laceratam ac labantem magnanimus fulsit Atlas,
&
fatigato Atlanti integer succedens Hercules,
Regale munivit Solium
non tam armis, quam Suo in Cives,
Civiumque in Se amore.

Per

Per omne enim,
quo
AVGVSTVS III.
Trajano melior & Augusto augustior,
Regno praefuit, tempus,
Eum semper
aequissimum libertatis Polonicae Assertorem,
gloriae Sarmaticae Vindicem,
pacisque publicae Servatorem
vidit Patria.
Quam admirabilis vero
omnium in hoc Patre Patriae virtutum
conspiratio, nexus, harmonia.
Hac quippe virtutum concordia ornatus,
in perturbationibus Reipublicae sedandis,
tempestatibusque publicis avertendis
discordes saepe Civium animos prudenter moderari scivit
AVGVSTVS III.
saeculi nostri Titus, ipso Tito mitior.
Nihil tamen
Ejus justitiae clementia,
nihil magnanimitati comitate,
nihil aequitati placabilitate,
nihil laboribus oblectatione animi detrahebatur.
Hinc
auspicatissimis Hujus sub auspiciis civitates in dies creverunt,
commercia magis magisque floruerunt,
& artes liberales, in pristinum restitutae nitorem,
sanguinem vitamque iterum acceperunt,
ita ut haec Polonorum aetas,

Augusti

Augusti nomine & imperio digna,
saeculi Augusti nomen induisse videatur.

Hae augustae AVGVSTI III. virtutes
eo erant pulchriores,
quo pulchrius Ipsius fuit corpus,
e quo proveniebant
tot tantaque sapientis animi indicia.

Adhaec

AVGVSTVS III.

gloriam nomenque in publico acquisitum,
Matrimonii quoque ac Stirpis felicitate servavit Domi,
publicae non magis quam domesticae memor fortunae.

Quid enim sanctius Ei, quid fuit dulcius,

MARIA IOSEPHA,

gentilitiis Austriacae Domus virtutibus
quondam fulgentissima,
Matre Patriae verissima,
Conjuge, secundarum & adversarum rerum Socia?

Eximia Hujus effecit foecunditas,
ut
tot Celsissimorum in utroque sexu Principum Pater Avusque,
non in Saxonica modo Aula,
sed in Hispanica etiam, Gallica, Neapolitana,
& Bavarica
Natos Natasque, Nepotes atque Neptes
numeraret,
Qui nec meliorem Sibi Patrem Avumque optabant,
nec Liberos Ipse meliores.

Tantus

Tantus hem!
insigni rerum gestarum magnitudine satiatus,
fuit
AVGVSTVS III.
Cui mensis quondam October laetabilis,
jam vero letalis exstitit.
Idem enim
qui Ei coronam dedit Sarmaticam, dies,
vita coronaque terrestri ablata,
aeternam Ipsi impertitus est vitam coronamque.
Dies fuit Placidi,
in quo,
qui Sauromatarum Regnum pacatum semper quietumque conservavit,
pace Saxoniae reddita,
repentina, ast placida morte
Augustissimum Majestatis Suae domicilium,
corpus,
deposuit Dresdae,
finito anno regiminis trigesimo,
quod Principum pauci,
aetatis vero, biduo tantum deficiente, sexagesimo septimo,
quod pauciores,
tranquillo fortunatoque relicto Regno,
quod paucissimi.
Sic dies laetitiarum in atri doloris convertitur noctem,
& magna merita magnus sequitur moeror.
Sic obiit & abiit,
vita longiori, imo Nestoreis annis dignissimus.
Augustus, Romanorum Imperator,
inventum Alexandriae Alexandri M. tumulum imposita corona
aurea, floribusque adspersis veneratus est.

Nostrae

Noſtrae ergo

in AVGVSTVM III. utinam adhuc! Noſtrum

convenit pietati,

non mauſoleo, ſed pectoris ſuſpiriis,

non monumentis, ſed lacrumis,

non coronis, ſed animi proſequi memoria

REGEM,

Quem Civium amor,

Quem virtutum gloria famaque ſuper alios evehent,

& ad ſidera tollent ſemper.

Aeternaturae igitur AVGVSTI III. gloriae

in animis etiam Elbingenſium conſervandae ergo,

MAGISTRATV AMPLISSIMO jubente,

& pietate in REGEM ita exigente,

craſtinus dies,

Encaeniis Gymnaſii alias ſacer,

jam Epicediis Regiis dicatus eſt,

qua occaſione

de cathedra Athenaei maxima, eademque pullata,

VIR

PRAECLARISSIMVS DOCTISSIMVSQVE

IOANNES DANIEL HOFFMANN,

LYCEI CONR. ET PHILOS. PRACT. AC HIST. PROF. PVBL.

ſolemni panegyri parentali

Heroem in utraque fortuna invictiſſimum

mirari & celebrare laborabit,

in apricum poſiturus,

quantum Incluta Polonorum Reſpublica,

quantum fidelis Boruſſorum Provincia,

quantum ipſa Elbinga moeſtiſſima,

AVGVSTO III. fatis functo,

acceperit vulnus.

Ad

Ad quae
ſacra lugubria pie & honeſte perſolvenda
ILLVSTREM,
PERMAGNIFICOS, GENEROSOS, AMPLISSIMOS,
CONSVLTISSIMOSQVE
DN. DN.
BVRGGRAVIVM REGIVM,
PRAESIDEM,
PRAECONSVLES, CONSVLES,
PATRIAE PATRES ET ATHENAEI NVTRITORES
SVMMO, QVO PAR EST, OBSERVANTIAE CVLTV
AETATEM PROSEQVENDOS;
VIROS item
EXCELLENTI, PLVR. REVERENDA, CLARISSIMA,
PRAENOBILI, NOBILI, SPECTABILIQVE DIGNITATE
CONSPICVOS
MVSARVM FAVTORES AC AMATORES
COLENDISSIMOS
demiſſe, humaniter & officioſe invitamus.

Dignemini igitur,
Civitatis PROCERES,
dignemini, PATRONI atque FAVTORES,
Pierides etiam lugentes
honorifica Veſtra & exoptatiſſima praeſentia,
quo,
quam carus Vobis Muſisque fuerit,
quantaque veneratione ac pietate,
rebus humanis exemtus, ſemper colendus ſit
AVGVSTVS III.
ſupremo exequiarum honore,
publico Elbingenſium nomine Eidem exhibito,
ſerae conſtet Poſteritati.

Publ. Elbingae d. XXIII. Nov. MDCCLXIII.